

Ferienprogramm VI (7.9.09)

1. **Informieren** Sie sich über das Forum des Augustus in Rom (am besten nicht nur mit Text, sondern auch mit Lageplan).
2. **Latein-Deutsch:** Wiederholen Sie die bisher in den Ferien neu herausgeschriebenen Vokabeln. – Informieren Sie sich über Ovids Verhältnis zu Augustus. – Wiederholen Sie, was Sie zu Valerius Maximus herausgeschrieben haben.
3. **Deutsch-Latein:** Wiederholen Sie noch einmal Ihre Notizen zu Pompeius; analysieren Sie die Passage aus der Rede; und machen Sie wieder mindestens drei Übungen in *moodle*.

Ovid, Fasti, 5, 549-598 (12. Mai) *Der Tempel des Mars Ultor auf dem Augustus-Forum*

fallor, an arma sonant? non fallimur, arma sonabant:

Mars venit et veniens bellica signa dedit. 550

Ultor ad ipse suos caelo descendit honores

templaque in Augusto conspicienda foro.

et deus est ingens et opus: debebat in urbe

non aliter nati Mars habitare sui. Romulus, Sohn des Mars

digna Giganteis haec sunt delubra tropaeis: 555

hinc fera Gradivum bella movere decet,

seu quis ab Eoo nos impius orbe lacesset,

seu quis ab occiduo sole demandus erit.

perspicit Armipotens operis fastigia summi

et probat invictas summa tenere deas; 560

perspicit in foribus diversae tela figurae,

armaque terrarum milite victa suo.

hinc videt Aenean oneratum pondere caro

et tot Iuleae nobilitatis avos;

hinc videt Iliaden umeris ducis arma ferentem,

565 Sohn der Ilia: Romulus

claraque dispositis acta subesse viris.

Epigramme unter den Statuen

spectat et Augusto praetextum nomine templum,

et visum lecto Caesare maius opus.

voverat hoc iuvenis tum cum pia sustulit arma:

a tantis princeps incipiendus erat. 570

ille manus tendens, hinc stanti milite iusto,

hinc ... hinc: die gegnerischen Parteien

hinc coniuratis, talia dicta dedit:

«si mihi bellandi pater est Vestaeque sacerdos

auctor, et ulcisci numen utrumque paro,

Mars, ades et satia scelerato sanguine ferrum,

575

stetque favor causa pro meliore tuus.

templa feres et, me victore, vocaberis Ultor.»
 vooverat, et fuso laetus ab hoste redit.
 nec satis est meruisse semel cognomina Marti:
 persequitur Parthi signa retenta manu. 580
 gens fuit et campis et equis et tuta sagittis
 et circumfusis invia fluminibus;
 addiderant animos Crassorum funera genti,
 cum periit miles signaque duxque simul. i.J. 53 v.
 signa, decus belli, Parthus Romana tenebat, 585
 Romanaeque aquilae signifer hostis erat;
 isque pudor mansisset adhuc, nisi fortibus armis
 Caesaris Ausoniae protegerentur opes.
 ille notas veteres et longi dedecus aevi
 sustulit: agnorunt signa recepta suos. 590
 quid tibi nunc solitae mitti post terga sagittae,
 quid loca, quid rapidi profuit usus equi?
 Parthe, refers aquilas, victos quoque porrigit arcus:
 pignora iam nostri nulla pudoris habes.

Valerius Maximus “de religione”

(1) Maiores statas sollemnesque caerimonias pontificum scientia, bene gerendarum rerum auctoritates augurum observatione, Apollinis praedictiones vatum libris, portentorum depulsiones Etrusca disciplina explicari voluerunt. Prisco etiam instituto rebus divinis opera datur, cum aliquid commendandum est, precatione, cum exposendum, voto, cum solvendum, gratulatione, cum inquirendum vel extis vel sortibus, inpetrito, cum sollemni ritu peragendum, sacrificio, quo etiam ostentorum ac fulgurum denuntiationes procurantur.

Tantum autem studium antiquis non solum servandae sed etiam amplificandae religionis fuit, ut florentissima tum et opulentissima civitate decem principum filii senatus consulto singulis Etruriae populis percipiendae sacrorum disciplinae gratia traderentur, Cererique, quam more Graeco venerari instituerant, sacerdotem a Velia, cum id oppidum nondum civitatem accepisset, nomine Calliphanam peterent, ne deae vetustis ritibus perita deesset antistes.

Cuius cum in urbe pulcherrimum templum haberent, Gracchano tumultu moniti Sibyllinis libris ut vetustissimam Cererem placarent, Hennam, quoniam sacra eius inde orta credebant, Xviros ad eam propitiandam miserunt. Item Matri deum saepe numero imperatores nostri conponentes victiarum suscepta vota Pessinuntem profecti solverunt. [...]

[...] (8) Non mirum igitur, si pro eo imperio augendo custodiendoque pertinax deorum indulgentia semper excubuit, quo tam scrupulosa cura parvula quoque momenta religionis examinari videntur, quia numquam remotos ab exactissimo culto caerimoniarum oculos habuisse nostra civitas existimanda est. In qua cum M. Marcellus quintum consulatum gerens templum

Honori et Virtuti Clastidio prius, deinde Syracusis potitus nuncupatis debitum votis consecrare vellet, a collegio pontificum impeditus est, negante unam cellam duobus diis recte dicari: futurum enim, si quid prodigii in ea accidisset, ne dinosceretur utri rem divinam fieri oporteret, nec duabus nisi certis diis una sacrificari solere.

für Deutsch-Latein

Cic. imp. Pomp. 35f., 41f.

(35) inde cum se in Italiam recepisset, duabus Hispaniis et Gallia Transalpina praesidiis ac navibus confirmata, missis item in oram Illyrici maris et in Achaiam omnemque Graeciam navibus Italiae duo maria maximis classibus firmissimisque praesidiis adornavit; ipse autem ut Brundisio profectus est, undequinquagesimo die totam ad imperium populi Romani Ciliciam adiunxit; omnes, qui ubique praedones fuerunt, partim capti interfectique sunt, partim unius huius se imperio ac potestati dediderunt. Idem Cretensibus, cum ad eum usque in Pamphyliam legatos deprecatoresque misissent, spem deditiois non ademit obsidesque imperavit. Ita tantum bellum, tam diuturnum, tam longe lateque dispersum, quo bello omnes gentes ac nationes premebantur, Cn. Pompeius extrema hieme apparavit, ineunte vere suscepit, media aestate confecit.

(36) Est haec divina atque incredibilis virtus imperatoris. Quid? Ceterae, quas paulo ante commemorare cooperam, quantae atque quam multae sunt! Non enim bellandi virtus solum in summo ac perfecto imperatore quaerenda est, sed multae sunt artes eximiae huius administrare comitesque virtutis. Ac primum quanta innocentia debent esse imperatores, quanta deinde in omnibus rebus temperantia, quanta fide, quanta facilitate, quanto ingenio, quanta humanitate! Quae breviter, qualia sint in Cn. Pompeio, consideremus: summa enim omnia sunt, Quirites, sed ea magis ex aliorum contentione quam ipsa per sese cognosci atque intellegi possunt.

[...]

(41) Itaque omnes nunc in eis locis Cn. Pompeium sicut aliquem non ex hac urbe missum, sed de caelo delapsum intuentur. Nunc denique incipiunt credere fuisse homines Romanos hac quondam continentia, quod iam nationibus exteris incredibile ac falso memoriae proditum videbatur. Nunc imperii vestri splendor illis gentibus lucem afferre coepit. Nunc intellegunt non sine causa maiores suos tum, cum ea temperantia magistratus habebamus, servire populo Romano quam imperare aliis maluisse.

Iam vero ita faciles aditus ad eum privatorum, ita liberae querimoniae de aliorum iniuriis esse dicuntur, ut is, qui dignitate principibus excellit, facilitate infimis par esse videatur.

(42) Iam quantum consilio, quantum dicendi gravitate et copia valeat, in quo ipso inest quaedam dignitas imperatoria, vos, Quirites, hoc ipso ex loco saepe cognovistis. Fidem vero eius quantam inter socios existimari putatis, quam hostes omnes omnium generum sanctissimam iudicarint? Humanitate iam tanta est, ut difficile dictu sit, utrum hostes magis virtutem eius pugnantes timuerint, an mansuetudinem victi dilexerint. Et quisquam dubitabit, quin huic hoc tantum bellum transmittendum sit, qui ad omnia nostrae memoriae bella confienda divino quodam consilio natus esse videatur?

